



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Prima Restrictio de Personis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

SIT notissimum caput 18. Leuitici, in quo recitantur personæ, quas non licet coniungi. Voluit enim Deus sua sapientia Castitatem intelligi, & ut intelligeretur, nequaquam voluit vagari libidines, sed personarum numerum & gradus sanxit, & in hac vita manifestis peccatis vniuersaliter punit incestas libidines. Ac sciendum est, leges in Leuitico, quæ prohibent commixtionem personarum, quæ ibi recitantur, esse leges naturæ, & obligare omnes gentes, sicut expresse dicitur textus, Aegyptios & Chananæos puniri propter incestas libidines. Ergo etiam alijs gentibus extra politiam Moyfi prohibita sunt incestæ libidines. Ac discant iuniores numerare gradus consanguinitatis & affinitatis. CONSANGVINEI siue cognati sunt, vt Iuriconsultus inquit, ab eodem orti, & propagati. Estq; consanguinitas vinculum personarum, quæ propterea, quod ab eodem stipite ortæ sunt, sanguinis & naturæ societate propius iunctæ sunt. Discernuntur autem lineis & gradibus.

Linea est triplex, { I. ASCENDENTIVM.  
II. DESCENDENTIVM.  
III. COLLATERALIVM.

GRADVS est interuallum, quo cognoscitur, quæ persona stipiti propior sit. Vt sita autem consuetudo numerandi gradus hoc tempore, & expeditior hæc est: Incoanda est series ab vno stipite, ut Abraham: Supra ponantur maiores eius, infra ponantur filij & nepotes.

T H A R E.

Aram	Abraham	Nahor
	Isaac	
	Iacob	
	Ioseph.	

ADDANTVR in lateribus fratres & sorores. Traduntur autem regulæ tres ad gradus discernendos.

PRIMA REGVLA TRADITVR  
de recta linea, videlicet ascendentium  
& descendentium.

QVO T sunt personæ, tot sunt gradus, vna demta, videlicet demta stipite, à quo incoanda est supputatio. Vt Ioseph distat tertio gradu ab Abraham, Iacob secundo, Isaac primo. Itaq; filius primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum. Ac de recta linea traditur vetus sententia, Nullos ascendentes